

II K
2276

DOCTRINAE, VIRTUTIS AC MERITORVM
SPLENDORE INSIGNES
INSPECTORES SCHOLAE
ET,
QVOTQVOT IAM SVNT CHEMNICII,
VIRI LITERATI
JVVENEM PRAECLARAE INDOLIS, ET LAVDE NON
PARVA DIGNVM,
JOHANNEM CHRISTIANVM HARBA-
CHIVM,
HOHENSTEINENSEM SCHOENBVRGICVM
ILLVSTRISSIMOS COMITES SHOEN-
BVRGICOS
ORATIONE LATINA LAVDANTEM,
ET
SCHOLAE HVIC
CARMINE GERMANICO

INSPECTORES SCHOLAE

JOHANNEM CHRISTIANVM HARBA- CHIVM,

ILLVSTRISSIMOS COMITES SHOEN- BVRGICOS

VLTIMVM VALE

SIMVL ACCLAMANTEM,
DIE XV. JVNII, AVDITA NONA MATVTINA,
BENEVOLE AVSCVLTARE VELINT,
EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA
ET HVMANITATE PETIT,

M. Daniel Müllerus,
RECT. SCHOL. CHEMN.

CHEMNICII,
Literis Strösselianis, MDCC XXXIII.



* * *

DUm in ILLVSTRISSIMORVM COMITVM SCHOENBVRGICO-
RVM laudem, boni ciuis obseruaturus officium, publice, ante suum
e schola nostra discessum, declamare uult luuenis Praeclaræ indolis
laudeque non parua dignus, *Johannes Christianus Harbachius*; in-
tegrum mihi, ni fallor, erit, quinam Comites & olim fuerint dicti,
& nunc dicantur, summatim exponere. Comes scilicet, si ultimam Latii sermonis
memoriam recordamur, nomen adeptus est a *cum* uel *com* & *eo*, ut ita comes pro-
prie non sit alius, quam qui *una it* cum altero, focius itineris, *ευνοδιου δεος*: qua in re
consentiunt *Mattb. Martinus* (a) & *Christianus Beckmannus* (b). Tametsi uero con-
cesserat *Martinus*, comitem esse focium itineris; paullo post tamen, non parum esse
discriminis inter *comitem* & *socium*, secutus *Laurentium Vallam* (c), subiungit; cum *so-*
cius par, comes uero minor sit, & quem sequatur, ducem habeat; unde & tritum illud
enatum putat: *Bonus Dux bonam reddit comitem*, non focium. Jam ego quidem
minime diffiteor, inter ducem & comitem non parum interesse; neque comitem dici
facile, qui dux est; sed tamen, num *socius* semper sit *par*, comes uero *minor*, & ducem,
quem sequatur, requirat, quæ *Valleæ*, acrisoris paullo in nonnullis centoris (d), &
Martinii mens est; hoc est, quod ego addubito. Quid enim causæ tubest, cur *par*
comitem praebere se non possit? Quid est, cur, qui focius est, comes audire
nequeat? Nonne apud probatos Auctores, quibus sermonis latini integritas puri-
tasque magno obseruata fuit studio, *comites dignitatis, calamitatis, laborum atque*
periculorum iidem sunt, qui *eiusdem dignitatis, calamitatis, laborum atque*
periculorum socii? Si porro, quinam *Comitum* nomine apud antiquos uenerint Scri-
ptores, inquirimus; paedagogos, in primis magnatum, honestiore uocabulo *Comi-*
tes appellatos esse, constat. Talem Tiberii Comitem Thrasylum, & Caii Caesaris M.
Lollium ostendit nobis *Suetonius* (e). Nondum recedentibus a prisca ætate, qua
Respublica Romana floruit, libertateque gauisa est, succurrit, apud Romanos *Comi-*
tum nomen illis quoque tributum, qui *Consules, Proconsules aut Praetores peregre*
comitabantur & in negotiis publicis obeundis tanquam *administri, adiutores, adse-*
iores & consilii ac rerum participes habebantur, quæ *Jacobi Gutberii* (f) sunt uerba.
Alia appellatione iidem *Legati* sunt dicti, ueluti ex *Nepote* patet, qui *Atticum nemi-*
nem in prouinciâ sequi, nec cum Q. quidem Cicerone uoluisse ire in Asiam, cum apud
eum legati locum obtinere posset, ait (g). Cum postea penes Imperatores esset omni-
um rerum potestas, Comites, a comitando, dicti sunt aulæ Romanæ atque Impe-
ratorii Palatii Proceres, quod ii (*Caroli du Fresne* uerbis (h) ut utar) *Principem*
secũarentur, eiusque lateri adhaerent, seu domi maneret, seu in expeditionem profi-
scisceretur. Primus hocce instituisse fertur (i) *Constantinus M.* tres eorum classes
ordinans, in quartum prima qui erant, *Illustrium*, qui in secunda, *Clarissimorum*, qui in
tertia, *Perfectissimorum* titulo sunt honestati. At tales iamiam erant Comites illi a
Spartiano commemorati, cum iudicaret *Hadrianus*, inquit (k), *in consilio habuit*
non amicos suos aut comites solum, sed iurisconsultos &c. Hi sunt Comites, de quibus
Ambrosius, *μῶνος ἐπισκοπος ἀξίως καλῶμενος* (l), hæc habet uerba (m): *Coepit ita fre-*
quentare ieiunium Valentinianus, ut plerumque impransus ipse conuiuium solenne
Comitibus suis exhiberet. Deinde eum ex Comitum horum & *Amicorum* Principis
numero (nam & hoc cognomen eorum fuisse legimus) eligerentur, qui ad prouincias
administrandas abire iubebantur; non amplius illi Comites Principis, a cuius comi-
tatu longe aberant, sed prouinciæ, quæ regenda ipsis erat tradita, sunt dicti, *Comi-*
tum Prouincialium nomen sortiti. Et horum officium fuisse cernimus, non his
tantummodo, quibus praefecti erant, ius dicere; sed etiam, urgente necessitate, popu-
lum subiectum in castra praeliaque educere. Eo fere tempore inualuit consue-
tudo, omnibus, qui rei certæ, quæcunquæ demum esset, praerant, Comitum no-
men impertiendi. Ubi quidem ueritati apprimè congruere fatendum est, quod Vir
doctissimus, *Georgius Casp. Kirckmaierus* scripsit (n): *Nisillum credo prius seculum*
tam ferax Comitum uariorum, ac illud Constantii, Fuliani, Valentiniani, Theodosii,
fuit. Urque dictis faceret fidem, ex ætatis illius Scripторibus *Comitem per utramque*

(a) in Lexic. Philog. sub uoce Comes (b) de Originibus Latinae linguae, p. 438. (c) Libro IV de Linguae Lat. Elegantiæ, c. 38. p. 336. (d) Haec eius acritudo sequenti dedit Epigrammati occasionem: Nunc postquam manes defunctus Valla petiuit, Non audeat Pluto uerba Latina loqui. Jupiter hunc coeli dignatus honore fuisse; et scorsum linguae sed timet ipse suae. (e) in Augusto c. 38 & in Tiberio, c. 12. (f) Lib. I de Officio Domus Augustae, c. 17. in Alb. Henr. de Sallengre Nou. Theaur. Antiqu. Rom. T. III. p. 3. 8. (g) in Vita Attici, c. 6. (h) in Glossario ad Scriptores Mediae & Infimae Latinitatis T. I. p. 113. (i) Refert id Eusebium, retinatus a Valesio. Vide Hoffmanni Lexicon Uniuers. T. I. p. 471. (k) in Hadriano c. 18. p. 79. & 80. edit. Schreiu. (l) Sic iudicat de Ambrosio Theodoretus Lib. V. Hist. Eccl. c. 18. (m) in Concione in obitu Valentiniani Imperatoris habita. (n) in Libro Commenta-rio in Tacitum de Germania, p. 214.

Germaniam, Comitum Diuitensium & Tungricarum partium, Comitum rei castrensis per Africanam, Comitum horreorum, Comitum laborum (cui omnes domus Imperatoriae artifices opificesque iuberant) Comitum scholarum, & alios, in scenam produxit. Ad uaria Comitum genera delapsus me esse dum sentio, dici uix potest, quam amplius, in quo excurrere possem, necesse si foret, ostendatur hic campus. Sat copiosum eiusmodi Comitum numerum, literarum securus ordinem, exhibet nobis (o) *Joh. Jacobus Hoffmannus*. Latius multo se diffundit (p) laudatus modo *Carolus du Fresne*, uerbosior fortasse, quam in hac causa requirere queat lector, existens. Ex ingenti illa Comitum, quos refert, multitudine, aliquos tancummodo attingere si mihi licet, obuersantur ante oculos *Comites sacrarum largitionum*, qui thesauris sacris ac publicis praeerant, & largitionibus Principis, quas ille Magistratibus, militibus & ciuibus erogabat: quos, ueluti *Barnabas Brissonius* probat (q), *Fratrum Amantissimorum* honorifica dignati sunt appellatione Imperatores. Videre uideor *Comites Palatii siue Palatinos*, (toto coelo distantes, ab iis, qui hodie Comites Palatini salutantur) qui primum in Imperatorum palatiis Iudicium fungebantur munere: deinde uero, auctis & productis Imperii finibus, quo leuaretur subiectorum labor, impensisque eorum parceretur, in prouincias subinde missi sunt, quorum arbitrio dirimerentur ac terminarentur lites & controuersiae. Succurrunt mihi *Comites Stabuli*, qui a Gallis, magnis illis larinarum uocum corruptoribus, *Connestabiles* sunt nominati. Et hi, ut initio stabuli Regii & eorum Principis curam gesserunt: ita dignitas eorum, succedente tempore, militaris facta est, Comitesque Stabuli copiarum Duces praecipui fuerunt (r). Verum e diuerticulo in uiam ut redeam, iubet propositum meum, quo de iis maxime Comitibus agere decreueram, qui in prouinciis, ut harum incolae nutum ipsorum intuerentur, missi sunt, aliqua commentari. Et hanc dignitatem in Germania aequae ac aliis regnis personis de Principe praeclare meritis, non simul haeredibus ipsorum, datam esse, historiarum monumenta ita clare commonstrant, ut nullum probe rem consideranti superesse queat dubium. Dum prima ad se uocat me Germania, possem ex seculis, quae inter antiquiora & recentiora interiacent, uaria Comitum genera afferre & praeter *Comites Palatinos* (s) *Comites Prouinciales*, seu Landgrauos, *Comites Limitaneos* seu Marcgrauos, *Comites Burgenses* *Castrensium* seu Burggrauos, & *Comites simpliciter ita dictos* acie mentis accuratiore lustrare (t). Verum quantum temporis ad haec leuiter modo perstringenda postularetur! Istud igitur addere duntaxat animus est, quod in Germania, Caroli M. aetate, & his, qui eam praecesserunt, temporibus, Comitibus nihil quicquam haereditatis in prouinciis, quas administrarunt, & loca, quibus praefuerunt, competierit: qua in re cum *Hermanno Conringio* (u) doctos consentire quosuis animaduerto. Ortonibus uero atque Henricis, & qui hos secuti sunt, imperantibus, factum est, ut, sicuti qui Ducum honore gaudebant, ita & Comites plus potestatis (x), partim ui, partim emptione, partim indulgentia & liberalitate Principum, nacti, prouincias terrasque, quibus erant praepositi, ad posteritatem suam iure haereditario transferrent. In aliis regnis idem usu uenisse, doctiores non fugit. Habuerunt enim omnia Europae regna iam inde a prius temporibus Comites, quorum dignitas praemium uirtutis fuit, cumque morte expirauit. Habuit Hispania; ubi mirabili ceremonia Comites olim esse creatos, exemplo Aluari Offorii clarum est. Hic nimirum cum ab Alphonso XI. Castellae Rege Trastamarae Comes declararetur, *tres ossae in uini poculo oblatas; cumque inter se Rex Comesque tertio certassent, uter prior sumeret, a Rege ossa una sumpta est, a Comite altera. Jus caldariae in castris, in bello uexilli, propriis insignibus distincti, datum. In eam sententiam confectis tabulis atque recitatis, consecutus adstantium clamor plaususque, laeta faustaque nouo Comiti oninantium.* His uerbis rem narrat (y) *Jacobus Wilhelmus Imhof*, haec tandem addens: *Is instituenti Comites ritus fuit.* Conuertimus nos ex Hispania in Galliam, ubi, uelut *Gerardus Dubois* exponit (z), *Comites erant plerumque Rectores & Praefecti urbium, quibus non publicarum modo rerum, sed & priuatarum cura incumberebat. Furis dicendi munere, & uicinos pagos circumuendi, componendorumque ciuium dissidiorum potestate gaudebant. Rebus turbidis agebant militiam, & ad publica Regni Comitia ire consueuerant, ibidemque*

(o) ex Lex. Uniuers. Contin. Tom. I. p. 498. seqq. (p) loc. cit. a pag. 1187. ad pag. 1206. (q) de Formul. Lib. III. §. 63. p. 295. (r) Multus admodum est de Comitibus Stabuli *Carolus du Fresne*, l. c. p. 1201. seqq. (s) de Comitibus Palatinis & Raugrauis extat peculiaris *Adami Frederici Stasij* Dissertatio in Miscell. Lips. Tom. I. p. 126. seqq. (t) Agit de his operose admodum celeberrimus *Junckerus* in der Einleitung zu der Geographie der mitlern Zeiten, t. X. p. 418. seqq. Plura Comitum Germanicorum genera recenset *Fridericus Lucae* in des H. Röm. Reichs Ulbralten Grafen. Saaf. Vide Acta Erud. 1702. p. 78. (u) in Exercit. de Ducibus & Comitibus Imperii Germanici §. XVI. (x) qua in re confiteri maior haec potestas, ex *Conringio*, loc. cit. §. XXII. cognoscitur. (y) in Genealogis Vigniti Illustrum in Hispania Familiarum. Vide Acta Erud. A. 1713. p. 100. (z) in Historia Ecclesiae Parisiensis, Lib. XI.

FK 11 22176
 cum Regibus ac Palatii Praefectis de republica ordinanda statuebant. Et initio quidem eos Regis subfuisse nutui, constat; sed postmodum horum potestati se paulatim subtrahere, dignitateque hanc fecere haereditariam &c. (aa). In Anglia non aliam quondam Comitum fuisse conditionem, ab Henrico Spelmano docemur, qui de Regno hoc loquens, Comites, inquit (bb), fuerunt iudices ordinarii prouinciae, iisdem pene limitibus, quibus Dioecesis Episcopi, circumscriptae, cum quo etiam Comes coniunctim ac in eodem confessu ius dixit: temporis uero processu factum est, ut simul praecipuae prouinciae suae urbis uel arcis regimen apud Comitum fuerit, quod annexam sibi tertiam partem reddituum habuit ex aulis iudicariis ad Regem pertinendum &c. Paulo post ita Spelmannus pergit: *Ista autem omnia a uero Regis arbitrio pependunt, nec haereditaria fuerunt unquam; unde & Alfredus Rex, ut alia taceamus, Dei dono & suo Comites ista tenere, publica charta restituta est.* Verum & in aliis Regnis & in Germania iamdudum radiare aliena luce desierunt Comites. Iamdudum radiarunt sua, & nunc etiam ita radiant, ut, si Principibus paulo sunt inferiores, Barones, quos uocamus & Equites uel Nobiles multum antecellant. Qui, quanta eorum dignitas auctoritasque per singula fere secula fuerit, cognoscere auct, is Io. Christianum Lünigium, Virum, ceu Origenes quondam dictus fuit, uere χαλκίνορον, adeat (cc). Neque, quod Scriptor quidam Lusitanicus, Antonius Rodericus Costius (dd), ante annos non ita multos arbitratus est, apud Germanos Illustrissimum Comitum uocabulum (sic loquitur Costius) coepit obsolescere, Comitibus scilicet ob penuriam splendorem hunc tueri non ualentibus. Errasse, ut fieri amat in rebus exteris, bonum Costium, testes sunt Viri doctissimi, qui Acta Eruditorum laudabili indefessoque consignant instituto, sic Comitum Germaniae causam orantes (ee): *Nemo est inter nos rerum patriarum tam imperitus, qui nesciat, Comitum nomen in nostro Imperio non Illustrissimum modo, sed eius dignationis esse, quae proxime ad Principis Imperii maiestatem accedit; ipsosque Comites iis iribus esse conspicuos, ea auctoritate praeditos, ut non habeant, in quo aliarum gentium omnium Comitibus concedere debeant.* Et sane, quae hic afferuntur, longe sunt uerissima! In quamcunque enim Germaniae prouinciam conticimus oculos, Comites contemplantur gloria & potentia maxime florentes, atque auitam uel tuentes uel etiam amplificantes dignitatem. Solos iam Comites Schoenburgicos tenerabundi intuemur: quorum originem siue ad ipsius Caroli M. aetatem, siue ad Theobaldum a fratre Vladislai, Regis Bohemiae, progenitum (ff) referamus; habemus omnino, cur memorabilem fastigii huius antiquitatem, rebus gloriosissime gestis insigniter aduactam, admiremur. Bene igitur fecisse censendus est Iuuenis egregius & ad praecleara quaeuis natus educatusque


Iohannes Christianus Harbachiuss,

quod, scholae nostrae umbram Academiae luce permutaturus, non aliud dicendi argumentum, quam laudem horum Illustrissimorum Comitum, sub quorum ditione & ipsi, lucem hanc intueri, & maioribus, felicem degere uitam, contigit. Et quamquam tenuis grandia conari uideatur; propterea tamen, toruo fe adpectum iri uultu, non meruit; cum in magnis etiam uoluisse, ingratum sit nequaquam. Ea adhaec Comites Illustrissimus gratia scit esse atque elementia, ut, qui & Parentem maxime Reuerendum (quem diu seruet Deus!) & Auum, Antistitem sacrorum, eum uiueret, Glauclathiae, magni fecerunt, hoc filii & nepotis sacrificium non sint adspernaturi. Ipse etiam ego haec conata non ingrata fore eo magis confido, quod hic filius & nepos Parentis & Aui non sit degener. Nam non domi tantum spem sui minime dubiam excitauit; sed, in nostram etiam delatus scholam, eandem recte agendo & literas elegantiores adamando non parum auxit; ad honesta quaeuis ab hospite Summe Reuerendo atque Excellentissimo perpetuo inflammatum. Nec dubium est ullum, quin & in posterum in pulchro hoc cursu ita sit perreiturus, ut, praelaris doctrinis perpolitus, patriae & DOMINIS SVIS utilia aliquando praestare queat officia. Cui omni ut felix respondeat euentus, omnes boni mecum optant. Inprimis haec, carmine germanico efferenda, sunt uota Iuuenis modestiae diligentiaeque laude praefantis,

Iohannis Gottliff Mulleri, Thurm. Schoenburgici: quibus unius ex hac gente Illustrissima, CHRISTIANI, encomium, oratione latina, praemittit, A uobis, Patroni ac Fautores, ut per horae spatium dicturos benigne audiat, maximo rogatus opere, omne officiorum genus, quod uirium nostrarum est, grati pollicentes.

(a) Allegat haec uerba ex Dubois Collesores Aetor. Erud. Tom. II. Supplem. p. 124. (bb) in Operibus Pothumii, ad Leges & Antiquitates Angliae pertinentibus. Vide Acta Erud. an. 1698. p. 442. (cc) in Theatro Juris deet Grotzen und Heren des h. Röm. Reichs. (dd) in Libro de Vita & Rebus gestis Nonni Aluareii, qui liber editus est Ollipone an. 1723. (ee) in Actis Erud. an. 1727. p. 297. (ff) Vide haec Illgem. Hystor. Lexicon. Tom. IV. p. 266.

MC.



FK 127
13

*De Comitibus prouincie
Chemnicensi*

PK
2276

DOCTRINAE, VIRTUTIS AC MERITORVM
SPLENORE INSIGNS

INSPECTORES SCHOLAE

ET, QUOTQVOT IAM SVNT CHEMNICII,
VIRI LITERATI

IYVENEM PRAECLARAE INDOLIS, ET LAVDE NON
PARVA DIGNVM,
JOHANNEM CHRISTIANVM HARBA-
CHIVM,

HOHENSTEINENSEM SCHOENVRVICVM
ILLVSTRISSIMOS COMITES SHOEN-
VRVICOS
ORATIONE LATINA LAVDANTEM,
ET
SCHOLAE HVIC
CARMINE GERMANICO

VLTIMVM VALE

SIMVL ACCLAMANTEM,
DIE XV. IYNNII, AVDITA NONA MATVTINA,
BENEVOLE AVSCVLTARE VELINT,
EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA
ET HYMANITATE PETIT,

M. Daniel Mullerus,
RECT. SCHOL. CHEMN.

CHEMNICII,
Literis Stoeffelianis, MDCC XXXIII.

